Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26074
Copyright: Admont, Benediktinerstift

regnum & uidetur. Scriptum est de hereticis quia futuri erant et ui
detur. Scriptum est de die iudicii; scriptum est et de premiis bonorum
et de pena malorum. Nemo se circumueniat fratres. quoniam illa omnia
uenerunt que promissa sunt. sic et dies iudicii et malorum pena et i
storum premia. sine ulla dubitatione uentura sunt; et ideo unus
quisque nostrum dum licet et cum dei adiutorio in potestate nostra con
sistit et peccata uitare. et quod bonum est exercere contendat.
ut cum dies ille terribilis et metuendus aduenerit. non cum
impiis et peccatoribus perenni incendio concremetur. sed cum ius
tis et deum timentibus peruenire ad eternum premium mereatur quod
ipse prestare dignetur. cui est honor et imperium in secula seculorum amen.

.xxxi. De die illa et hora nemo scit. neque angeli celorum. et cetera.

Fratres adtendite quod audistis monentem scripturam. atque dicentem ut propter
diem nouissimum uigilemus. unusquisque de nouissimo suo die
cogitet. ne forte consenseritis uel putaueritis longe esse nouis
simum seculi diem dormiatis ad nouissimum uestrum diem. De die no
uissimo seculi huius audistis quid dixerit. quia nesciunt eum neque
angeli celorum. neque filius nisi pater. Ubi quidem magna questio est ne
carnaliter sapientes putemus aliquid patrem scire quod nesciat filius.
Nam utique cum dixit pater scit. ideo hoc dixit quia in patre et filius
scit. Quid enim est in die quod non in uerbo factum est. per quem factus est
dies. Nemo inquit querat nouissimum diem quando futurus
sit. sed uigilemus omnes bene uiuendo. ne nouissima dies
cuiuscumque nostrum nos inueniat inparatos. et qualis quisque hinc exierit
suo nouissimo die. talis inuenietur in nouissimo seculi die; Nichil
te adiuuabit quod hic non feceris. unumquemque opera sua iuuabunt aut
opera sua pressura sunt. et quoniam in psalmo cantauimus domino. mi
serere mei domine quoniam conculcauit me homo. Homo dicitur qui secundum
deum hominem uiuit. Denique illis qui secundum deum uiuunt dicitur. Dii estis

[illegible]